



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

38. Tandem Senatus seriò inquit in nuperæ seditionis reos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)



1654.

non abnuerent, sed jure patrata affirmarent; cumque servato juris ordine nondum hactenus auditi, neque culpæ aliujus convicti, damnatique essent, longè alia sperare se; sin secus; de infractis juribus protestari; & si nihilominus præteritâ civitate Comitia celebrentur, quidquid demùm statui contigerit, nunquam id gratum, ratumve habituros; nec enim passurum Senatum, Populumque Monasteriensem de privilegiis suis carpi quidquam. At ubi Principem conspexere, sui ut antea propositi tenacem, tertiam, ex qua venerant, luce redierunt. Abeuntibus autem Monasteriensibus Comitia cæpta sunt, ac brevi terminata. In iis potissimum ob finitimos motus de fœdere cum externis Principibus ineundo, de patriæ præsidio ac stipendio militiæ tractatum. Principi pecuniæ in singulos menses ab Ordinibus attributæ, quibus partim levarentur onera patriæ, partim tria peditum millia, ac mille equites alerentur.

38.

*Tandem  
Senatus  
serio in-  
quirit in  
nupera  
Seditio-  
nis reos.*

At verò Senatus Monasteriensis, certus jam, haud aliâ, quam reorum studiosâ inquisitione placabilem esse Principis animum, diversos quotidie ad Tribunal evocabat, quæstionibus eorum, qui accusabantur, responsisque sedulò intentus. Sed dum ab objectis se criminibus versutiores explicant, in pernegando non pauci persistunt,



sistunt, & alij post expeditum innocentiae juramentum, nimis facile dimittuntur, haud modica difficultas initio fuit isthac via reum vel unum deprehendendi. Donec tandem pistoris cujuscumque servus, denunciatione plurium suspectior, in judicium tractus, post sponfam complices prodituro veniam, libertatemque, cui famulabatur, herum nominavit, qui grassante turbâ hastatus, haud procul ab aede summâ, ad imitationem, exemplumque sui, traditâ se bipenni animârat. Is namque conjectus in vincula, hic in aliquâ portarum contignatione custodiri jussus, plures malè conscios, experimento suo docuere, dum ut quisque culpæ propior aut capesceret fugam, aut lateret ad tempus, terrore etiam, ac suppliciorum minis, obsequium adversus Principem, quietemque in Urbibus comparari; & mali principis eadem severitate non obsistere, esse publicæ tranquillitati longè perniciosum.

Ingentes erant apparatus, quos in Sueciâ per eos dies, & magnâ parte Germaniæ adornabat *Carolus Gustavus Suecorum Rex*. Suspensus circum hærebat Orbis, incertus, ac suspicax, in quam demùm provinciam vis tanta converteretur. Volebant nonnulli in Danos moturum Regem aut Batavos, quos pridem commodis suis adversos, gravesque sensisset Suecia; multi

39.

*Armat  
se Suecia  
Rex.*

*Varij de  
co rumo-  
ros.*

contra